

ris ac factis ipsis nova theoria ab adversario excogitata.

Ad 2. N. tum ob rationum momenta quae adducta sunt, tum ob falsam adversarii assertionem, quod prophetae scilicet evertent oppressorum machinationes, animos excusserint juxta auctoris sensum, fabulae enim ejusmodi assertiones sunt ab ipso confictae. Illud quippe prophetarum fuit munus, populi praesertim judaici vitia reprehendere, validos animos ad omnem virtutem excitare, ac Messiae adventum praenuntiare, non quidem ut temporalis liberatoris, quemadmodum adversarius autumat, sed spiritualis, qui nempe peccata auferret, justitiam adduceret, gentes ad verum Dei cultum revocaret, aliaque praestaret ejusmodi, quae in liberatore ab adversario confictum cadere nequaquam possunt (a).

Haud inficiamus tamen serioribus temporibus Judaeorum animos generatim occupasse ideam etiam de liberatore temporali, quod ex Luc. XXIV. 21. Act. I. 6. aliisque locis N. T. constat. Verum ne ullus errori detur locus, duo quae nequeunt commisceri discernamus oportet, nempe ideam primogeniam et originariam ab idea adscititia, et superinducta. Idea enim primogenia et originaria quam exhibent sacrae litterae est prorsus de Messia spirituali, ut ex citatis locis apparet; postea autem sensim, ut ita dicam, ac sine sensu adjecta alia est de liberatore temporali, non ita tamen, ut prior excluderetur, sed utraque Messiae spiritualis et temporalis conjuncta idea erat. Sane Messiae spiritualis, legislatoris, prophetae, thaumaturgi ideam semper obtinuisse penes judaicam gentem abunde constat ex Luc. III. 15. Jo. I. 19. IV. 25. VI. 14. VII. 31. aliisque locis passim. Quod si in plerisque, subsequentibus praesertim temporibus, invaluit notio Messiae tanquam temporalis liberatoris, ideo id factum est, quod Judaei vaticinia, quae secundum Messiae adventum respiciunt, cum vaticiniis de primo ejusdem adventu confuderint, vel etiam quia carnali ac materiali sensu ea intellexerint, quae de spirituali ipsius Messiae gloria ejusque regno sive ecclesia sub materialibus ac symbolicis imaginibus adumbrata, praenunciata erant. (b)

(a) Cf. Sherlock Usage et les fins de la prophétie, en six discours. Vid. praesertim Discours III.

(b) Antiquiores Hebraeos puriore ideam habuisse de Messia persona ac munere evidenter constat ex iis, quae erudite scribit Schœtgenius in Horis hebraicis et thaludicis tom. II. lib. I. capp. I. et II. de nominibus Messiae, tum toto libro III. qui est de persona Messiae, innumeris prope eorum testimoniis in medium productis; nec non tom. I. diss. I. de Regno caelorum, in qua §§. VI. VII. ostendit nomine Regni caelorum praeter cultum Ecclesiae V. T. significari Regnum Messiae, et tempora Messiae et oeconomiam illorum una cum aliis circumstantiis eo pertinentibus, adducto testimonio ex Targum Michae IV. 7. « Et revelabitur ipsis regnum caelorum in monte Sion a nunc et usque in saeculum » et confirmat tom. II. L. I. cap. II. §. 3. ex Pesikta in Jalkut Simeoni II. fol. 178. r. et Scin Ascirim rabbu fol. 45. 2. « Quando tempus accedet, Regnum caelorum revela-

Ad 3. D. Juxta doctrinam hebraicam seriorum temporum, Tr. antiquitus receptam N. Veteres enim Hebraei non diversam sibi Messiae efformarunt notionem ab ea, quam scripturae et traditio ipsis patefecerunt. Porro ejusmodi fontes constanter ingerunt ideam Messiae, qui naturae limites praetergrederetur ut Ps. II. 7. Is. VII. 14. IX. 6. seqq. XI. 1. seqq. et alibi passim (a). Imo certo certius

bitur הנהגו זמנה של מלכות שמים שתגלה tunc implebitur illud Zachar. XIV. 9. « Illo tempore Deus erit Rex in universam terram » aliisque multis, quae locis cit. recoli possunt. Quibus addi potest hunc usum loquendi communem fuisse Christi aetate, alioquin Jo. Bapt., Christus, Pharisei et auditores ipsorum formulam hanc neque protulissent neque intellexissent, attamen passim usurparunt, ut patet ex Matth. II. 2. X. 7. Luc. XVII. 20. et alibi passim, adeo ut illi, qui ex Judaeis, signis temporum probe expensis, adventum Messiae proximum cum gaudio excipiebant, dicantur προσδέχονται τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, « expectant regnum Dei » seu Regnum caelorum Luc. XXIII. 51. cui phrasi similis est illa προσδέχονται παράκλησιν et ὑπόσταν expectare consolationem et redemptionem, Luc. II. 25. 53. Orta autem videtur haec formula, quae antiquioribus Judaeis et sanioribus post captivitatem in deliciis erat, et Dan. VII. 13. 14.

Haec volui aliquanto fusius disputare, primo ut pateat luculenter inesse veteribus Hebraeis sententiam de Messia ejusque regno spirituali et divino; secundo ut malam fidem detegerem recentiorum bibliorum rationalistarum praesertim Koppe Nov. Test. vol. VI. ad epp. ad Thess. excurs. I. de Regno Christi asserentium formulam מלכות השמים Regni caelorum neque in Targum, neque omnino apud Rabbinos de regno Messiae accipi, sed de peculiari Numinis supremi regimine, singularique Jehovah, qua sua gauderet civitas, tutela cujus quasi ministri reges in civilibus, in sacris vero rebus sacerdotes essent.

(a) Cf. W. Hengstenberg Christologie des alten Testaments etc. Christologia veteris testamenti etc. Berolini 1829. Part. I. sect. I. cap. III. de Divinitate Messiae in V. T. p. 215. seqq. ubi colligit textus, ex quibus constat Messiam futurum praedicari ut Deum et Filium Dei; nos saltem eos hic summam indicabimus: Ps. II. 7. Messias vocatur Filius Dei sensu proprio et non figurato; et v. 12. iudicium de inimicis suis ipsi tribuitur, et rebelles ad ipsum confugere monentur; Ps. XLIV. 7. 8. Messias vocatur Deus; Ps. CIX. 1. David ipsum vocat Dominum suum; v. 6. accipit a Deo proprium nomen יְהוָה, et iudicium super hostes suos ipsi ascribitur; Is. IV. 2. Messias vocatur צֶמַח יְהוָה germen Dei scilicet Filius Jehovah. Atque haec quidem de divina ejus natura dicta sunt; juxta humanam vero ex antithesi vocatur פִּי הָאָרֶץ fructus terrae, natus ex Judaea, vel oriundus ex domo Juda. Is. VII. 14. indicatur juxta humanam naturam per illud nasci et Virgine: juxta divinam per nomen Immanuel nobiscum Deus. Item Is. IX. 6. denotationes seu characteres divinae naturae cumulantur. Prius nomen מְלִיךָ mirabile, ut indicetur tum in suo esse tum in suis actionibus supra conditionem seipsum naturae cursum elevatum esse; deinde nomen גִּבּוֹר אֵל Deus fortis, adjicitur; in antithesi denotatur ipsius humana natura et origo per verba filius natus est nobis. — Ib. XI. 40. paganae gentes modo religioso Messiam quaerere dicuntur. — Mich. V. 1. in antithesi ad temporalem Messiae ortum ex Bethlehem et ad nativitatem ex muliere (v. 3.) annuntiat eum aeterna praesistentia « Ex te mihi egredietur . . . et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis » et (v. 4.) ipsi tribuitur fortitudo et majestas Jehovah. — Os. III. 5. « Filii Israel . . . quaerent Dominum Deum suum et David regem suum » id est Messiam. Ubi verbum שָׁבַד studium sese Deo reconciliandi et ejus gratiam

est, ut productis monumentis ostenderunt eruditi viri, in antiquiorum Hebraeorum mentibus firmam semper inhæsisse persuasionem, unicum mediatorem inter Deum et homines, auctorem revelationis omnis, cui nomen Metatron apposuerunt, nempe Messiam, identificari cum Deo ipso, ac proinde Deum esse, et supra naturae nostrae conditione positum (a). Hujus doctrinae ac traditionis vestigium apparet Jo. VII. 27. « Hunc scimus unde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit (b). » Imponit igitur Salvador lectoribus suis dum adstruit juxta doctrinam Hebraeorum Messiam minime praetergredi naturae limites.

Ad 4. N. Sed ex unanimi veterum, imo et recentiorum etiam Judaeorum, Balaami vaticinium supremum illum regem venturum, Messiam nempe, pro objecto habet, cuius adventus fama jam inde a remotissimis seculis Orientem totum pervaserat, qui populos sit debellaturus, et quo regnante, maxima rerum conversiones essent eventurae (c). Ex genere porro armorum ejus de-

acquirendi significat. — Sed insigne praeterea est ad rem nostram quod legitur Mal. III. 1. seqq. Jehovah ibi dicit, se legatum missurum, qui viam ante se sternet, et statim subditur, postquam hoc factum fuerit, Messiam appariturum. Igitur apparitio Jehovah et apparitio Messiae identificantur. Messias accipit nomen מָשִׁיחַ quod cum art. praefixo nullibi nisi de uno Deo invenitur. Haec summo Deo, duci theocratiae, regi israelitarum templum ut sua proprietates semper ascribitur. At juxta Malach. templum est proprietates Messiae. Istum igitur Deum esse, et cum Jehovah per unitatem naturae identificari aperte eruitur. Insuper v. 2. seqq. officium divinum, alioquin soli Jehovah ascriptum, nempe iudicium de improbis, ipsi Messiae tribuitur. — Cf. etiam Dan. VII. 13. 14. Zach. XII. 10. XIII. 7. Praecipua ex his vaticiniis suo loco expendemus.

(a) Ibid. l. c. p. 238. seqq. quibus patet ex antiquiorum Judaeorum doctrina eaque communi hunc Metatron non raro identificari cum Schechina, habitatione nempe Dei in mundo, identificari cum Deo ipso, a quo tamen distinguitur, persona scilicet; non esse Metatron creatum, sed emanatum, vocatur Metatron emanationis et creationis, qui apparuit Moysi in rubo; cum summo Deo unitate essentiae conjunctus perhibetur ut Dominus ipse et legatus Dei, princeps mundi, et visibilis manifestator Dei, aliaque ejusmodi ex Thalmude, ex lib. Sohar et Rabbiorum innumeris testimoniis ostendit. Haec ipsa documenta praeter Sommerum, Glaesenerum, Raym. Martini exhibet Schœtgenius op. c. t. II. de Messia lib. III. thesi II. seqq. adeo ut mirum sit incredulum Judaeorum salvador potuisse firmiter adeo asserere ex Judaeorum doctrina non debuisse Messiam naturae limites praetergredi. Hoc est aperte se vel ignorantem vel mendacem prodere.

(b) Ἄλλὰ τοῦτον οἶδαμεν πῶθεν ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἔρχεται, οὐδεὶς γινώσκει πῶθεν ἔστιν.

(c) Cf. De hoc vatic. praeter prooemium De-Voisin in pug. fid. ed. cit. p. 81. dissert. Willemeri de Stella ex Jacob oriunda in Num. XXIV. 17. quae reperitur in thesauro theol.-philolog. cit. Perperam De-Wette Kritik der Israelit. Gesch. seu critica historiae israeliticae p. 365. seqq. illud confictum in gratiam Hebraeorum autumat, et Bleck in dem bibl. exeget. Repertor. seu in Repertorio biblico exegetico post debellatos a Saulo ammonitas, zabæos et philisthaeos assutum censet. Nec Rosenmülleri conatus efficient

prehenditur qua ratione omnes filios Seth. seu ut habet Onkelos, omnes homines sit Messias vastaturus: « Percutiet terram, inquit Isaias, virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium (a). »

Ad 5. D. Unaquaque oppressionis periodus suum peperit liberatorem sive Messiam improprie dictum seu late sumptum, C. proprie dictum de quo loquimur N. Id ipsum dicatur de Cyro, aliisque omnibus, quibus communis fuit haec denominatio, regibus ac sacerdotibus, qui analogice Christi vocabantur seu Messiae ac Salvatores; alioquin cum iudices interdum Diu in scripturis vocentur, sequeretur vel nullum Deum esse proprie dictum, vel illos homines totidem Deos esse.

Ad 6. D. Spiritu vertiginis atque anticipatis iudiciis abrepti, C. juxta germanum scripturam sensum per traditionem antiquissimam expositum N. Verum de hoc postea.

Ex his responsio fluit ad conclusionem ex falsis principiis, seu potius ex gratuito ac singulari systemate adversarii deductam. Si enim nonnisi unus ac determinatus Messias a Deo in scripturis promittitur; si nonnisi unus ac determinatus ab universa Judaeorum gente expectatus est; si nonnisi de unico, singulari ac determinato mediatore, seu Messia omnium antiquarum gentium traditiones loquantur, patet eo denique controversiam adduci, ut quaeramus utrum venerit nec ne. Istud vero in sequenti capite excutere aggredimur.

CAPUT II.

DE EPOCHA ET OFFICIIS PROMISSI MESSIAE.

Nonnulli Judaei diuturni quo detinentur exilii, atque dilati Messiae adventus perlaesi in desperationem acti contendunt nullam a prophetis futuri Messiae peculiarem epocham statutam ac determinatam fuisse. Alii vero etsi fateantur ejusmodi adventus epocham reipsa determinatam esse, attamen dilatatum esse contendunt Messiae adventum ob demerita ac peccata quibus Hebraei se commacularunt, aut in dies coinquinantur. Alii demum censent quidem epocham adventus Messiae esse determinatam non solum conditionate, sed absolute; contendunt tamen nondum completam ejusmodi epocham esse. Nostrum igitur erit, duce praesertim cl. Jo. Bernardo Derossi (b), sequentibus propositionibus haec omnia effugia pracludere, ac simul ostendere ex officiis seu muniis a Messia juxta prophetas obvendis eum jamdiu advenisse ut non sit in aliud tempus expectandus.

totum hoc oraculum Bileami imposturam et fictionem esse. Cf. Bartolocci Bibliothecam magnam rabbinicam Romae 1675. P. I. p. 655. seqq. Cf. etiam Jo. Frid. Miegii Dissert. De stella et sceptro Bileamico in Novo thesauro dissert. Lugduni Batav. 1752. fol. tom. I. p. 425. seqq.

(a) Is. XI. 4.
(b) Della vana aspettazione degli Ebrei, ec Parma 1775.

PROPOSITIO PRIMA. — *Epocha adventus promissi Messiae ex sacris litteris certa ac determinata est.*

Est adversus chaldaum paraphrasten, R. Joseph aben-Jachia, Maimonidem aliosque paucos contententes nihil certi circa tempus futuri Messiae adventus constitui posse, imo neque posse in hanc epocham inquiri absque erroris periculo, nec quidpiam uspiam de ejusmodi epocha revelatum a Deo esse (a).

A vero autem prorsus ablutere ejusmodi assertionem constat 1. ex jacobaeo vaticinio, quo venturus praedicitur Messias cum ablatum fuerit sceptrum a Juda; ex prophetia Danielis, qua sub finem septuagesimae hebdomadis ab edicto reaedificationis Urbis occisum iri Messias praenunciatur, necnon ex Aggaei et Malachiae oraculis quibus significatur stantibus adhuc Urbe ac templo Messiam venturum esse. Constat 2. ex antiqua Judaeorum traditione et agendi ratione. Etenim juxta elianam scholam an. ab orbe condito quatermillesimo Messias adventurus erat, prout refertur in Thalmude in quo « dies regis Messiae » ad hunc annum assignantur. Sane Messiam per id temporis magna animorum contentione exoptatum fuisse atque expectatum, adventus Magorum in Solymorum urbem, civitatis totius commotio, infantium caedes, occisio eorum qui essent de familia David ex parte romanorum, ne Judaei Messiae praetextu novi aliquid machinarentur (b), desperatio Hillelis, tumultus hac de causa excitati (c), plures veteratores qui sibi eadem aetate Messiae nomen ac dignitatem vindicarent, facinus ipsum Barcochebae, fama in omnem partem vulgata de egressuro tunc temporis e Judaea qui rerum potiretur, applicatio vaticiniorum a Josepho per assentationem Vespasiano facta (d), haec aliaque non pauca facta publica ac testatissima totidem sunt argumenta ineluctabilia, quae invictissime ostendunt certam ac determinatam epocham Judaeos ex traditione habuisse. Constat 3. ex ingenua praecipuorum Rabbinoorum confessione, qui tum ex scripturis tum ex traditione edocti id demum ultro dederunt (e).

(a) Apud eund. cap. I. § 2.

(b) Cf. Euseb. H. Ecc. lib. III. c. XII. et cap. XIX. ed. Vales.

(c) Joseph. Arch. I. XX. c. VIII. § 6 de Bello I. II. c. XIII. § 4. 5. ib. lib. VI. c. V. § 3. ed. Havere.

(d) De Bello I. III. c. VIII. § 9. et I. IV. cap. X. § 7.

(e) Cf. Th. Goodwini Diss. quam inscripsit: Moses et Aaron cum not. Hottingeri § 22. in Thes. Ugolini T. III. p. 35. cf. Derossi op. c. c. I. § 6. Sane in Thalm. in tract. Sanhedrin fol. 97. vetustissima traditio legitur his verbis: « Traditio domus Eliae; sex mille annis durat mundus. Bis mille annis inanitas et vastitas. Bis item mille annis lex. Denique bis mille annis dies Messiae. » Hinc alii cum viderint elapsas omnes epochas sive biblicas sive traditionales adventus Messiae, animum desponderunt negantes Messiam esse promissum ut R. Albo in Lib. *Ikkarim*; alii ejus adventum in saeculum et mundum futurum rejecerunt, ut R. Manasses ben-Israel lib. II. c. III. de Re-

constat 4. ex ipsa rei de qua agitur natura. Si enim Messias, ut ex dictis patet, fuit in lege mosaica promissus; si Messias objectum fuit desideriorum patriarcharum et prophetarum; si prophetae, prout ostendemus, futuri Messiae locum nativitatis, originem, facta omnia vaticinati sunt, qui fieri potuist, ut sola epocha ipsius adventus reticeretur, qua Judaei excitari ac permoveri debebant ad ipsum excipiendum?

Sive igitur sacras litteras consulamus, sive perpetuam et constantem Judaeorum traditionem, sive Rabbinoorum confessionem et agendi rationem, sive denique rei ipsius inspicimus naturam, certam omnino ac determinatam esse epocham adventus Messiae apertissime evincitur.

DIFFICULTATES.

I. Obj. 1. Haud pauci ex doctioribus Rabbiniis inter septem eas res quas hominibus prorsus ignotas recensent, tempus etiam includunt restitutionis regni Davidici seu Messiae; 2. Quod non absque fundamento ab ipsis fieri argumento est Angeli Daniele alloquentis XII. 9. responsio; cum enim Daniel ab Angelo sciscitatus esset tempus quo Messias esset venturus, respondit Angelus: « Clausi sunt, signatique sermones usque ad praefinitum tempus » Quibus verbis non obscure insinuat dies Messiae absconditos hominibus esse. Ergo.

R. ad 1. D. Post Christi adventum, seu ut ipsi loquuntur, post magnam dispersionem, Tr. Ante id temporis N. Nil mirum, si recentiores nonnulli Rabbini anticipatis iudiciis ducti incertum esse contenderint tempus promissi Messiae, cum Messiam agnoscere noluerint epocha a scriptura ac traditione praefinita. Sic enim arbitrati sunt se posse utcumque argumentorum vim omnem declinare, quibus a Christianis premebantur. At paucorum certe ea opinio, seu potius effugium est, si cum universali judaicae gentis sensu ac traditione, ac praecipuorum Rabbinoorum sententia comparetur. Utaliquid pauci isti, quos impugnamus, proficerent, deberent ostendere talem pariter Judaeorum animis insedissem sententiam ante Christi adventum, quod profecto numquam praestabunt, cum omnia illius aetatis documenta contrarium prorsus evincant.

Ad 2. N. Daniele sciscitatum esse ab Angelo tempus futuri Messiae, cum istud ei jam revelatum fuerit cap. IX. nec propterea Angeli responsio ad ejusmodi tempus refertur. Citatis proinde verbis significatur obscura esse debere quae in eodem capite conti-

surr. mortuor.; alii diris et execrationibus devoverunt illos, qui tempora adventus Messiae supputarent, et terminos ejus inquirerent dicentes: *מה דדון של רומבא* « Rumpatur spiritus eorum, qui tempora (adventus Messiae) supputant. » Alii alias nugas commenti sunt quae videri possunt apud Jo. Buxtorffum de Synagoga judaica c. L. Basil. 1664. extat etiam in Thesaurio Ugolini t. IV. p. 4153. et seq. tum apud Schickardum *Jus regium Judaeorum* ibid. T. XXIV. p. 795. seqq.

nentur donec compleantur, quae ibidem praedicta sunt. Dissentiunt porro interpretes de quam re hic praecise agatur, et alii in alias abeunt sententias (a). Ex ignota proinde re nihil extundi potest, quod infirmare vel minimum possit, quae aperta scripturarum testimonia de hac ipsa epocha produunt.

PROPOSITIO II. — *Epocha adventus Messiae in scripturis determinata retardari nequit.*

Eos haec thesis perstringit, qui scripturarum ac traditionis auctoritate pressi admittunt quidem determinatam a Deo ac patefactam promissi Messiae epocham esse, contendunt tamen, ut monuimus, ob judaici populi scelera dilatam, atque in dies differri divinam promissionem. Desipere autem hujus sententiae patronos quisque intelliget, qui vel leviter perpendat.

I. Messiae promissionem constanter in scripturis absolute proponi, numquam vero conditionate, adeo ut nuspiam vel leve ejusmodi conditionis vestigium appareat.

II. Messiam non ad solos Hebraeos, sed ad omnes prorsus populos, seu homines mitti; nemo propterea sanus sibi persuaserit ob peculiaris judaici populi scelera retardari quod ad commune omnium bonum promissum est.

III. Ejusmodi conditionem aperte omnino a Deo excludi quoties ipse profitetur tempus adventus promissi Messiae *decisum ac determinatum* esse, ut Dan. IX. (b); quoties gratuitam affirmat esse Messiae promissionem, seu cum *propter se et propter gloriam nominis sui* se populum suum redempturum promittit, ut Is. LII. 3. seqq. Ezech. XXXVI. 22. et alibi passim; item quoties declarat se missurum Messiam ad tollenda hominum peccata, delendam iniquitatem etc. ut Is. LIII. et Dan. IX., ut alia quamplurima praeter eam, quae evidentissime quamcumque meritum aut demeritorum nostrorum conditionem excludunt.

IV. Posita semel hac conditione, jam sequi nihil certi circa tempus Messiae adventus superesse, perperam proinde in scripturis frequenter adeo tempus istud significatum fuisse; numquam enim exitum suum divinae pollicitationes habiturae essent, cum neque in judaica natione, nec in alia qualibet scelerum futurus sit finis, spectata hominum infirmitate ac malitia.

V. Novam atque ab antiquae synagogae sensu prorsus alienam esse sententiam hanc, quae non nisi ad eludenda christianorum objecta excogitata fuit post Hierosolymorum ac templi eversionem, quaeque a doctioribus ipsis Rabbiniis acerrime impugnatur (c). Pro-

(a) Cf. Sanctiam, Cornel. a Lapide in h. l., Critic. sacros, Rosenmüller, etc.

(b) Talem esse vim hebraicae vocis *נחת* *nechtach* Daniel IX. 24. *definita, decisa, devota*, etc., omnes admittunt, ut ex dicendis luculentius patebit.

(c) Cf. Derossi op. c. cap. II. § 4. seqq. ubi plura documenta invenies tum ex Thalmude, tum ex celebrioribus Rabbiniis antiquis et recentioribus ex quibus patet receptum apud Hebraeos esse Messiae adventum

fecto si Messiae adventus ab hominum meritis penderet, tot sanctissimorum patriarcharum, prophetarum, aliorumque priorum hebraicae gentis hominum, qui in veteri synagoga floruerunt, merita plus apud Deum valere debuissent, ut promissiones solveret suas, quam recentiorum judaeorum flagitia valeant ad illas retardandas. Praeterea cum judaica gens ideo dire affligatur gravissimasque ac diuturnas vexationes patiatur propter Messiae spem pro cujus adventu enixas adeo ad Deum preces perpetuo fundit, concipi nequit, quomodo Deus his non flectatur, et haec omnia conferre nihil valeant ad Messiae promissi adventum accelerandum. Quamquam nec illud omittendum est, diuturnam adeo dilationem haud parum conferre ad animum despondendum, atque in desperationem conjiciendum (a).

His igitur perpensis concludi omnino debet ita praefinitam adventus Messiae epocham a Deo esse ut retardari ob Judaeorum peccata non possit.

DIFFICULTATES.

Obj. 1. Scriptura universa referta est vaticiniis conditionatis, quae etsi absolute enuncientur, eventus tamen patefecit implicitam illa conditionem continere; quidni igitur idem dicamus de vaticiniis, quae Messiam spectant? 2. Quid? Quod non desint prophetiae, quae conditionem ejusmodi expriment? Etenim Deut. XXX. redemptio Israel promittitur, « Si tamen (ut ibidem dicitur) audieris vocem Domini Dei tui... et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua. » 3. Quod jam pridem advertit Pesichta in haec verba, et post ipsam thalmudistam in Ghemara babylonica, qui unanimiter affirmant ex poenitentiae defectu, atque ob multa Hebraeorum scelera transactos jamdiu esse terminos adventui Messiae constitutos a celebri traditione scholae elianae, quos secuti sunt plures ex recentioribus Rabbiniis. Ergo.

R. ad 1. D. Quae tamen vel ex substrata materia, vel ex adjunctis, aut conditione alibi expressa deprehenduntur esse conditionata, C. secus N. Haud inficiamur ejusmodi vaticinia conditionata, quae tamen absolute enunciantur, in scripturis reperiri, talia sunt ut plurimum quae *comminatoria* dicuntur, quandoque vero etiam promissoria, quae tamen alicubi conditionem adnexam habent. Verum

retardari non posse, atque ab hominum meritis vel demeritis nulla ratione pendere. Et sane absurdum est hominum peccata praepedire Messiae adventum, qui peccatis hominum tollendis venturus erat, ut rursus Hebraei fateantur. Cf. Diss. philolog. de Ara exteriori Jo. Jacobi Cramerii in Thesaurio Ugolini tom. X. p. 340. seqq.

(a) Cf. Derossi l. c. Schickardum *Jus regium* theorema XX. in Thes. Ugol. t. XXIV. p. 800. seq. cum not. 55. Carpzovii ib. p. 820. Lightfoot in Evang. Math. Horae hebrae. et Thalmud. in cap. II. v. 1. ubi plurimum Ghemaristarum verba profert, qui fateantur jamdiu natum esse Messiam juxta statutum in scripturis epocham. Opp. et Ultraj. 1699. fol. vol. II. p. 257. seq.

plura pariter sunt absoluta, quod nemo in dubium vocabit; ad horum porro classem spectare vaticinia, quae Messiae adventum respiciunt omnia argumenta quae adducta sunt. luculenter ostendunt.

Ad 2. N. Ad prob. autem ex Deut. allalam, D. Et eo loci sermo est de felicitate vel punitione israelitarum pro diversa ipsorum agendi ratione in legis observantia et quidem temporali, C. sermo est de Messia vel Messiae adventu N. Ipsa ejusdem capituli integra series id abunde ostendit. Resipiscentibus siquidem Judaeis pollicetur Deus se eos reduciturum ab extremis mundi partibus, ac de cunctis gentibus inter quas ejeti fuerint, in terram patrum suorum; se soluturum ipsorum captivitatem, ac conversurum in hostium capita calamitates, quibus afflicti fuerint, si tamen sincera erit ipsorum poenitentia; prout reipsa toties factum esse scripturae ipsae testantur (a).

Ad 3. D. At sero nimis, seu post elapsos terminos a prophetis significatos pro Messiae adventu, C. vetus synagoga et ante elapsam ejusmodi epocham N. Huc denuo recurrunt quae superius animadvertimus de veteris synagogae sensu ac traditione (b).

PROPOSITIO III.—Advenisse Messiam a Deo promissum atque a Judaeis expectatum jamdiu elapsae epochae a prophetarum oraculis determinate luculentissime ostendunt.

Hujus propositionis veritatem evincunt epochae omnes jamdiu completae quae Messiam respiciunt. Ut suis tamen finibus contineatur propositio nec justo longior evadat, potiora vaticinia expendenda seligemus, in quibus praefata epochae apertissime constituuntur. Talia sunt oraculum jacobaeum, vaticinium Danielis, nec non prophetiae Aggaei ac Malachiae, quae si seorsim sumpta rem conficiunt, simul proposita eam omnino demonstrant. Quin propterea ejusmodi vaticinia ab invicem separemus, singillatim ad omnem confusionem vitandam atque ad consulendum perspicuitati ea distinctis paragraphis perpendemus.

§. I. Jacobaeum vaticinium expenditur.

Splendidissimum Jacobi vaticinium exhibetur Gen. XLIX. 8. seqq. Cum enim Jacob jam jam moriturus ad se vocasset filios suos benediceretque singulis benedictionibus propriis, atque annuntiaret quae ipsis obventura essent in diebus novissimis, cum pervenisset ad Judam, sic ei fausta ominatus est:

(a) Satis est vel leviter percurrere libros Judicum, Regum, etc., imo universam historiam hebraicam gentis, ut oculis veluti ipsis peculiaris haec divina providentia conspiciatur.

(b) Nec omittendum in eadem Ghemara babylo-nica aliam traditionem referri, quae omnino contradicit illi, quae nobis objicitur: etenim cap. XI, legitur: « Scriptum est: propter nomen meum faciam: dicit Rabbi Alexander: R. Jose ben-Levi objecit: scriptum est: In tempore suo, et scriptum est: accelerabo: si meriti fuerint accelerabo; si non meriti fuerint, in tempore suo. » (Cf. apud Ugolini t. XXV. p. 956.)

« Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ad praedam, fili mi, ascendisti: requiescens ac-cubuisti ut leo, et quasi laena, quis suscita-bit eum? Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium » seu ut hebraice legitur: « Non recedet sceptrum a Juda, et legislator de inter pedes ejus, donec veniat Sciloh et ei obedientia populo-rum (a). »

Tria hic a nobis praestanda sunt, ut propositum adversus Judaeos teneamus. Ostendendum est I. celebre hoc oraculum ad Messiam pertinere; II. epocham ejus adventus determinare; III. jamdiu fuisse completum.

Ad primum vero quod attinet facile res conficitur tum ex vi ipsa vocis Sciloh tum ex iis, quae huic Sciloh tribuuntur. Quaecumque tandem sit hujusce vocis radix, de qua valde inter se philologi disputant, certum est ea non alium significari praeter Messiam. Etenim si ea est a שילה (sciala) tranquillus aut quietus fuit, ut aliqui contendunt, Messias sic denominatus fuit eo quod ipse esset orbi tranquillitatem ac pacem conciliaturus, omnem-que felicitatem allaturus; quare inter cetera nomina quibus Is. IX. 5. Messias insignitur et istud recensetur: princeps pacis. Huic interpretationi consentit codex samaritanus in quo legitur: « donec veniat Pacificus (b). » Si vero ut aliis placet vocem hanc derivemus a radice שיל vel שיל (scil vel scialal), tunc perinde est Sciloh ac filius ejus id est ille, qui κατ' εἰκόνην seu antonomastice filius Judae dici potest, nempe Messias. Si demum magis cum aliis placet legere שילה (Scelloh), pro שיל, tantumdem valeret ejusmodi vox ac quod ei, seu cujus est subintellige regnum aut sceptrum illud de quo hic loquitur Jacob, juxta id quod legitur Ezech. XXI. 27. « donec veniat is cui judicium (c) » seu summa judicandi et imperandi potestas. Quo sensu accepisse videntur hanc vocem veteres plerique interpretes; LXX. enim habent « donec veniat quae ipsi reposita sunt (d), » vel ut alii legunt « cui repositum est (e), » quae tamen potius Aquilae et Symmachi est interpretatio. Istorum interpretum sensus hic est: « Donec veniat regnum quod repositum est ei » scilicet Messiae. Hunc sensum clarius expressit Onkelos scribens: « donec veniat Messias cujus est regnum; » idem fere habet Thargum hierosolymitanum. Interpres syrus vertit: « Is cujus illud est, » et Saadias interpres arabs: « is cui est. » Quidquid porro sit de verisimiliori etymologia hujus vocis compertum est omnes interpretes raro consensu, ut fate-

tur ipsemet Rosenmüller, in eo convenire ut per vocem Sciloh vel ipsemet designetur Messias vel aliqua ipsius proprietates. Haec vero omnia confirmantur ex velustiorum Hebraeorum confessione. Veteres enim Hebraei hoc nomen Sciloh inter nomina Messiae retulerunt, ut in Thalmude in Sanhedrin Perek Chelek, in Berescit rabba et alibi (a). Certe in Thalmude babylonico cit. tract. Sanhedrin sive de judiciis c. XI. haec leguntur: « R. Jochanan dicit pro Messia: Quale est nomen ejus? Discipuli R. Sila dixerunt: Siloh est nomen ejus: dictum est enim Gen. XLIX. 10: donec veniat Siloh (b). »

(a) לא יסוד שבט מודהה ומתקן ברגן רגלו עד כי יבא שילה ולי יקרת עמי.

(b) Cf. biblia Waltoniana.
(c) עד בא אשר לא דבשפט.
(d) פאיז לו שילה, או שפועלמהו אדתי.
(e) ו אפועלמהו.
(f) Hanc lectionem mordicus tuetur Jahn in Append. Kermeneut. fasc. II. p. 185. seqq. sed ejus ad-stipulator, quod sciam, nemo inventus est.

Id ipsum praeterea evincitur ex iis, quae huic Sciloh tribuuntur; subditur enim ibid, « et ipse erit expectatio gentium, » seu « et ei obedientia populorum, » quae verba Onkelos ita reddit: « et ei obtemperabunt populi; » Jarchi autem vertit: « et ei congregatio populorum » ad eum nempe multi populi confluent, ut dicitur Is. II. 2. Uterque arabs « et ad eum congregabunt se gentes, » LXX. habent: « ipse expectatio gentium (c), » quos et s. Hieronymus secutus est: « et ipse erit expectatio gentium; » quibus consonat syrus: « et eum expectabunt populi » ex radice קה (kavah) deducentes קהתה (ikkeath) cui in conjugat. pihel expectandi est notio. Equis porro praeter Messiam dici potest expectatio gentium, vel ille cui gentes omnes obtemperare, atque obedire debent, ad quem populi confluent? Eo vel magis quod hic Jacob indicare quodammodo videatur promissionem tum Abraham tum Isaac tum sibi denique a Deo factam quod in eorum semine ac suo benedicendae essent omnes gentes? Quod et prophetae postea declararunt, Isaias praesertim l. c. et XI. 10. XLIX. 6. seqq. LI. 5. seqq. LXV. 1. LXVI. 19. et Hebraei ipsi profitentur, imo contendunt (d). Sive igitur vim ipsius nominis spectemus, sive ea quae personae tali nomine designatae tribuuntur, patet hoc oraculum non posse nisi de Messia exponi.

Alterum vero quod attinet, nempe per ejusmodi oraculum epocham, seu terminum Messiae adventus significari seu exprimi, constat I. ex ipsis vocibus שיל quae semper vertuntur donec, usque, usque dum etc. ut lexicographi omnes tradunt (e) et sensus ipse et contextus exigit; sed praeterea ex omnibus versionibus, antiquis ipsis Judaeorum paraphrasis evincitur (a); 2. ex scopo Jacobi praenunciantis nunquam e Judae pedibus seu e medio ejus supremam potestatem ablatum iri donec ille veniat ad quem tandem sit devolvenda, Messiam nempe, ut ostendimus: quibus verbis voluit Judae ceterisque fratribus signum dare ex quo illum, qui mittendus erat, cognoscerent, alioquin si nullum terminum praestituisset, nullum ejusmodi signum dedisset. 3. Ex communi omnium antiquorum sensu et interpretatione (b), qui omnes viderunt hic significari terminum imperii, seu potestatis populi judaici per transitionem ad regnum Messianum.

Tertium denique quod ostendendum assumpsimus, jamdiu scilicet hoc vaticinium esse completum ita conficimus: Jacobus praedicit non esse auferendum a Juda sceptrum, seu non recessuram esse ab ejus tribu supremam potestatem, summum principatum, ac legislatorem donec veniat Messias; atqui jamdiu e Juda defecit haec suprema potestas seu dominium ac principatus: ergo jamdiu vaticinium istud completum est, seu, quod idem est, jamdiu venit Messias.

In primis vero nomine sceptri שבע (sce-veeth) designari supremam potestatem, imperium, imperatoriam dignitatem patet I. ex Num. XXIV. 17. Is. XIV. 5. Zachariae X. 11. Ubi sedulo notandum eandem plane phrasin occurrere « et sceptrum Egypti recedet (c); » 2. patet id ipsum ex antiquis versionibus; a LXX. enim et Theodotione vertitur illa vox sceveth princeps ἀρχων (archon), a Symmacho potestas ἐξουσία (exousia); 3. ex paraphrasis chaldaeis e quibus Onkelos posuit: exercens dominium (d), reliqui duo, Jonathan nempe et Jerusalem reges (e); 4. ex altero hemistichio, seu membro, ubi sceveth respondet mechokkek (mechokkek) quod proprie eum, qui aliquid statuit, decernit, νομοθετης (nomotheten) legislatorem denotat, quemadmodum de Moyse Num. XXI. 19. dicitur, et in universo de primoribus praefectis populi exercitusve usurpatur, ut Judic. V. 14. et Ps. LIX. 9. Judas vocatur princeps, antesignanus mechokkek.

Jam vero supremam hanc potestatem de Juda, ac de tota Hebraeorum gente jampridem ablatam esse ac penitus defecisse publica facti res est in orbis luce posita, et omnium oculis usurpata. Ex quo enim tempore Hierosolymorum civitas eversa est sub Vespasiano ac Tito, suis pulsi sedibus Judae extorres a Palaestinae seculo facti sunt ac per varias gentes toto orbe disjecti aliorum imperio ubique parent ac serviunt omni sceptri jure, ditione, imperio, potestate ubique destituti.

Cum igitur ex dictis jacobaeum vaticinium de Messia sit; cum praeterea epocha per ipsum figatur ac determinetur illius ad-

(a) Cf. Bibl. Polyglotta Waltoniana.
(b) Cf. Mazzocchi Spicilegium biblicum. Neapoli 1762. t. I. diss. VIII. Part. I. sect. III.
(c) ושבט מצרים יסוד
(d) עבר שולמן
(e) ב לביא

ventus, quando scilicet ablatum fuerit sceptrum a Juda; cum denique sceptrum istud jamdiu a Juda ablatum fuerit, jure concludimus ex eodem vaticinio jamdiu Messiam advenisse.

DIFFICULTATES.

I. Obj. 1. Incertum in primis est num vaticinium Jacobi ad Messiam referatur, sive potius ad Moysen, aut Davidem, vel Jeroboamum qui per Abiam Silonitem renunciatus fuit rex Israel; aut ad Nabuchodonosor a quo ablatum est sceptrum de Juda cuique omnes gentes paruerunt, de quo dicitur Ezech. XXI. 27. « donec veniat is cui iudicium, » quare illi a propheta non obscure Jacobæum vaticinium applicatur. 2. Potest præterea vox *Sciloh* significare quietem, ita ut oraculi verba sic reddi debeant: « usque dum venerit Silonem » juxta expositionem R. Lipmani (a), quam argumentis grammaticis, historicis et dogmaticis confirmare conatus est G. A. Teller in notis criticis et exegeticis in hoc caput (b) et sane phrasi *וַיָּבֵן וַיָּבֵן* et venit *sciloh* occurrit I. Reg. IV. 12. Quare juxta Teller his verbis respexit Jacob tempus illud quo populus peregrinatus erat per desertam Arabiæ, in quo itinere Judas in castris primum locum semper occupaturus esset (Num. II. 3. 9.), et præiturus antesignanus reliquis tribubus (Num. X. 14.), donec Silonem perventum esset, ubi quum ceteræ tribus a Juda discesserint, vel statim ac rubenitæ et gaditæ occuparint terræ portionem suam, vel paulo post, Judas principatum suum relicurus esset. Hanc opinionem sequitur Zirkel (c) ex eadem significatione vocis *sciloh*, nempe quietis, quam illi Israelitæ, devictis hostibus, assecuti sunt. Placet hæc eadem expositio Justio citata verba declaranti « usque dum veniat quies et populi ei obediant. » Judas enim, ut ipse loquitur, ut victor repræsentatur, qui arma ac potestatis insigne (*baston del comando*) non prius deponet, quam omnes hostes sibi subjecerit et rebelles ad quietem compulerit (d). » Hanc denique explicationem

(a) In libro *Nitzachon* ab Hackspanio edito p. 27.

(b) Pag. 150. 1766. quem secuti sunt Mendelsohn, Eichhorn, Ammon, Rosenmüller, in duabus primis editionibus. *Kelle die heil. Schriften*, etc., seu *Script. sacræ præter Zirkel, Justi, etc.*, de quibus in textu.

(c) In Dissert. super benedictione Judæ Gen. XLIX. 8-12. Wirezburg 1786. Juxta hunc auctorem hic erit sensus verborum Jacob: dux sit Judas usque ad plenam Palæstinæ possessionem, usque dum devictis hostibus *Silonem*, id est, ad quietem venire licet. « Patet, inquit, duce Juda posteros suos reduci ad loca sibi suisque familiaria, Bethel, Sichem, cætera, vehementer desiderat, ut, quibus in locis Palæstinæ possidendæ possessionem acceperant, in iis quoque ejus possessionem acciperent, Silonem quasi termino belli et laborum et symbolo quietis constituta, et gaudium ac tranquillitatem exhibente, quam ipso nomine promittit, est enim *שִׁלוֹם* a verbo *שָׁלוּם* cessavit, *quærit*. »

(d) Apud Hengstenberg *Christologia* V. T. Berol. 1829. p. I. sect. I. p. 76.

probavit Gesenius (a) ita ut communis jam dici possit. Jam vero, hac semel expositione constituta, patet ne verbum quidem haberi in vaticinio Jacobæo, quod Messiam respiciat. Ergo.

R. ad 1. N. sive verba Jacobi in seipsis spectemus, sive ex traditionis sensu expendamus. Attributa enim, quibus insignitur *Sciloh*, de quo loquitur Jacob talia sunt, ut nemini aptari possint, præter summam violentiam et contra omnes exegeseos leges nisi soli Messiae, quod ex probationibus adductis constat. Traditio porro quamcumque dubitationem tollit circa germanum sensum hujus oraculi. Nemo enim ex antiquis dubitavit unquam Jacobum de Messia locutum esse, ut ex versionibus, paraphrasibus, testimoniis singularibus, expectatione universali sub finem judicæ reipublicæ abunde evincitur. Nemo præterea est ex tota antiquitate, qui vel ad Moysen, vel Saulem, Davidem, Salomonem, Jeroboam, aut Nabuchodonosor vaticinium istud retulerit, imo numquam vividior fuit expectatio Messiae quam post solutam captivitatem. Prophetæ vero, qui post memoratos principes florere, multo clarius, quam ii omnes, qui præcesserunt Messiae proximum adventum vaticinati sunt. Nemo denique est ex illis regibus, cui adjuncta ejusdem vaticinii convenient, cum nemo istorum dici possit *expectatio gentium*, aut quod eis fuerit præstita *obedientia populorum* in sensu oraculi, seu relate ad promissiones factas Abraham, Isaac et Jacob de benedictione, quam omnes gentes consecutura erant in horum patriarcharum semine: ut præteream longe post prædictorum regum obitum perseverasse sceptrum in tribu Juda. Hinc solutio patet ad id quod objiciebatur ex Ezechiele, qui l. c. non loquitur nisi de vindicta quam sumpturus erat Nabuchodonosor de impio Sedecia, ac Solymorum civitate, ut ostendit contextus ac substrata materia, nec minimam propterea relationem habent Ezechielis verba ad vaticinium Jacobi.

Ad 2. N. verba Jacobi admittere posse R. Lipmani, Telleri, Zirkelii, Justii aliorumve interpretationem, cum Jacob ut ex serie orationis patet, non de urbe, sed de persona seu individuo loquatur, et ei tribuat quæ ad urbem referri nullatenus possunt. Obstat præterea, quod semper præ oculis habendum est, sensus traditionalis antiquæ synagogæ, quæ *frigidam* illam interpretationem, ut eam merito vocat Rosenmüller, numquam agnovit. Violentæ ejusmodi interpretationes quas argumentis grammaticis, historicis et dogmaticis perperam obtrudunt ut plurimum exegetæ protestantes, ostendunt aliam plenam rem esse discedere veile a sensu traditionali antiquitatis, qui firmam basin veræ ac germanæ exegeseos constituere debet, alioquin quisque pro lubito ac ingenio posset nova excogitare, eaque arripere ac probare, non quæ solida ac vera sint, sed quæ nova ac ingeniosa magis, etsi a veritate prorsus abhorreant. Adde demum longe vero simili-

(a) In novissima edit. Parvi vocabul. p. II.

lius urbem *Sciloh* Jacobi tempore nondum extitisse (a).

II. Obj. Dato etiam quod Jacob loquutus sit de Messia, nihil tamen inde extundi potest pro re christiana, quum Jacob nullam epocham specialem ipsius adventus determinaverit. I. Etenim, ut animadvertit R. Aben-Ezra (b) « Non est sensus verborum *וַיָּבֵן* (ad-ki) seu *donec usque, etc.*, sceptrum esse recessurum cum venerit *Sciloh*; sed hæc locutio similis est illi: non deerit huic panis, donec veniat tempus, quo ei erunt agri vineæque multæ (id est, quando veniet tempus ejusmodi, multo minus ei panis deerit); item Gen. XXVIII. 15. « Non deseram te, usque dum fecero, quod locutus sum tibi, » quod nempe velim te reducere in hanc terram; id est multo minus te reductum in terram desertam; similiter igitur dicitur: « non recedet sceptrum a Jehudah donec veniat *Sciloh*, id est, numquam auferetur, seu numquam recedet sceptrum a Jehudah, multo minus, quum venerit *Sciloh*. » Huic consentit R. Bechai juxta cujus interpretationem hic exurgere sensus: « Non auferetur sceptrum.... in æternum, postquam venerit *Sciloh*. » Quæ quidem expositio arridet christianis ipsis; siquidem Basnagius (c) observat *וַיָּבֵן* non solum significare *donec, usque*, sed etiam *perpetuo*, ut apud Moysen: « Dominus regnabit in sæculum *וַיָּבֵן* (vead) et *perpetuo* et apud Isaiam *וַיָּבֵן* *perpetuo*, ex quibus concludit: « Sic igitur vertenda sunt verba morientis prophetæ: sceptrum legislatorum de Judæ sanguine cretus ab eo non recedet in *perpe-*

(a) Etenim in Pentateuco nullibi occurrit; primo legitur Jos. XVIII. 1. ubi Josue populum a castris Galgala conducit in *Sciloh* et erigit tabernaculum. Verisimiliter hic locus non erat, perinde ac Galgala, nisi locus castrorum, qui processu temporis adolescente multitudine hominum in oppidum sive urbem excrevit. Hoc jam indicat nomen *quies*; postquam relata est populi collectio in *Sciloh*, expresse additur « et fuit eis terra subjecta » et c. XXI. 42. coll. XXII. 4. dicitur Dominum dedisse pacem et quietem a vicinis; cf. *Bachienæ Palæstina* II. 3. p. 409. Insuper, data etiam ejus existentia, tempore Jacobi, attamen mentio Joci hujus ignoti adeo subitanea omnino videtur aliena.

Accedit etiam illud, quod in tali expositione tota Jacob benedictio constitisset in eo quod Judas futurus esset in capite turbæ. Jam vero ad ductum proprie dictum Moses ex alia tribu a Deo solemniter vocatus est. Nec Josue ex tribu Judæ erat. Profecto promissio facta tribu Judæ per solam præcedentiam in itinere non completur, nec cum eo quid commune habet. Ut præteream in tali expositione in ultimo membro gratuito suppleri adverbium loci *illuc, ibi* etc. Cf. Hengstenberg, op. et l. c.

(b) Cf. Pentaphyllum rabbinicum in Gen. XLIX. stud. Loscani p. 22.

(c) *Annal. politico-ecclesiast. Roterod.* 1706. tom. I. ad an. XL. ante Dominum n. XVIII. seqq. Neque ab hac interpretatione valde abluat Hengstenberg. I. c. p. 71. juxta quem hic sensus esset verborum Jacob: Juda, prout tribus est, non peribit, et ejus phylarchia non cessabit, donec ipsa per magnum restauratorem, cui non soli Judæ, sed omnes terræ populi obediant, ad majorem honorem et gloriam evecta fuerit. Incommoda hujus expositionis ex mox dicendis patefient.

tuum, quia veniet *Sciloh*. » 2. Verum et hoc prætermissio, quis ignorat vocem *scereth* interdu virgam afflictionis ac tribulationis significare juxta illud Ps. II. 9: « Reges eos in virga ferrea » et Is. X. 5. Talis propterea est sensus Jacobi « non recedet virga afflictionis a Juda donec veniat *Sciloh* (a). » Constat igitur nullum determinatum terminum pro adventu Messie a Jacob præstitutum esse.

R. N. A. Ad 1. prob. N. 1. Quia et hæc expositio nova est et sensui traditionali contraria ac versionibus omnibus antiquis; 2. quia adversatur scopo morientis Jacob, dandi scilicet signum ex quo dignoscere Hebræi possent adventum Messie, alioquin nullum omnino dedisset; 3. quia exploditur a facto ipso, jamdiu enim cessasset regnum Judæ, quin venerit Messias, ideoque falsitatis argueretur vaticinium Jacobi; 4. quia particula *וַיָּבֵן* (ad) non solitarie ponitur, sed jungitur cum alia *וַיָּבֵן* (ki); porro nec unum exemplum suppetit in tota scriptura ejusmodi præpositionem ita conjunctam significare in *æternum, perpetuo*, prout supponi debet in data interpretatione, contra vero plura suppetunt, in quibus ea præpositione terminus significatur (b).

Ex his concidunt pariter expositiones R. Bechai, et Basnagii, quæ iisdem premuntur difficultatibus, et ex regula ipsa accentuum exploduntur (c).

(a) Hunc eundem sensum tenuit auctor anonymus veteris *Nitzachon*, quem post alium ab Hackspanio vulgatum, cujus auctor extitit Lipmanus, edidit ex ms. bibliothecæ argenteratensis Wagenseilii in illa collectione, quam inscripsit: *Tela ignea satanæ*. Aldorfii Noric. 1681. Itaque sic iste pag. 29. exponit sensum vaticinii Jacobi: « Non cessabit exilium tribus Judæ et errores Jesu, donec veniat *Sciloh*, hoc est Messias, et ei erit obedientia populorum. » Adversus ejusmodi vocis *scereth* interpretationem scripsit integram dissertationem doctus P. Michael Angelus Carmeli Min. Obs. quæ legitur in calce tom. II. inscripti: « Storia di varj costumi sacri e profani dagli antichi fino a noi pervenuti » p. 225. seqq.

(b) Sic Genes. XXVI. 15. « Eundo et crescendo, usque dum *וַיָּבֵן* ad *hi* crevit magnopere » et c. XLII. 49. « Et congregavit Joseph frumentum... multum valde donec *וַיָּבֵן* cessavit numerare. »

(c) Nemo qui plane hospes ac peregrinus in hebraica lingua non sit, ignorat accentum *athach*, qui hoc in loco voces *וַיָּבֵן* præcedit hemistichium prius a posteriore omnino sejungere quoad sensum. Itaque contra accentuum canones Basnagius discepit *וַיָּבֵן* a *וַיָּבֵן* ut suam novam obtrudat interpretationem. Præterea in locis Genes. indicatis eadem particula occurrunt II. Reg. XXIII. 10. et II. Paral. XXVI. 15. et nullibi præterea. Idem porro in omnibus locis sensus est.

Expositio autem Hengstenbergii pariter in eo peccat, quod pro certo sumat *וַיָּבֵן* simul juncta continuationem, non autem terminum significari, quod ex dictis falsum est; 2. quod omnis epochæ determinatio pro Messie adventu tollatur; omnem enim vim adversus Hebræos. oraculum amittit ad eos perstringendos, ut patet ex interpretatione R. Aben-Esra quam ipse laudat et approbat; 3. neque spernenda est animadversio Deylingii quam sibi Hengstenberg opponit ex Obs. sacr. II. p. 85. « patriarcha loquitur de scepro temporali: Messie autem sceptrum et regnum, quod in terrarum orbe constitutum habet, spirituale est et mysticum; igitur Messie regnum spectari læ-